

Dissertatio medica inauguralis de febre quartana intermittente / [Peter Risler].

Contributors

Risler, Peter.
Université de Strasbourg.

Publication/Creation

[Argentorati] : Typis Melchioris Pauschingeri, [1733]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d5kam5bm>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
FEBRE QUARTANA
INTERMITTENTE
ADJUVANTE SUMMO NUMINE,
GRATIOSÆ FACULTATIS
MEDICÆ
PERMISSU ATQUE DECRETO
IN ALMA ARGENTORATENSIO
UNIVERSITATE
PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE CAPESSENDI
AD DIEM 2. MAJI ANNI MDCCXXXIII.
SOLEMNI ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT
AUCTOR
PETRUS RISLER,
MULHUSA - SUNDGOVIENSIS.
ARGENTORATI, Typis MELCHIORIS PAUSCHINGERI.

V I R O
NOBILISSIMO, AMPLISS-
MO, CONSULTISSIMO, DOCTIS-
SIMO

D O M I N O
JOHANNI HENRICI
REBER,
I. U. L.

MVLHVSINÆ REIPVBLICÆ
ARCHIGRAMMATEO
DIGNISSIMO, MERITISSIMO, AVUM
CULO SUO OMNI HONORIS ET AMORIS CULTU
AD CINERES USQUE PROSEQUENDO

H A S C E

T H E S E S I N A V G V R A L E S

QUA DECET, OBSERVANTIA

D. D. D.

P E T R U S R I S L E R, M. C.



Q. D. B. V.



Edicorum Scandalum , & qui-

dem planum in scenam produco ; quod
dum facere aggredior , facile est prævi-
dere multos fore , qui hoc Thema nimis
arduum , juvenilique captui minus ac-
commodatum judicent , propter difficultates maximas
tam in Theoria , quam præcipue in Praxi circa hanc Fe-
brim occurrentes . Occident mihi , sine dubio illud

Proemium.

FLACEI :

*Sumite materiam vestris qui scribitis aequali
viribus. &c.*

Justam hancce objectionem ipse judicarem , si mihi pro-
posuissem febris quartanæ exactam disquisitionem sistere ,
cui vero oneri humeros meos impares esse ultrò fateor .
Profectum meorum in salutari arte qualiumcunque
specimen exhibere mihi animus est . Facile hinc à cor-
datis Lectoribus veniam spero , si multa minus eruditè po-
sita in hisce pagellis occurrent . Tum sinceri judices vi-

tio mihi non vertent, quod non pauca, præcipue quæ experientiam poscunt, ex Auctoribus descripserim quos tamen non semper allegavi; quia multa à diversis Auctori- bus observata in unum contraxi. Hisce præfatis ad rem ipsam accedo.

§. I.

SIcut in omnibus scientiis præcepta generalia præmit-
tuntur specialibus, illorumque pertractatio ad ho-
rum intelligentiam viam sternit, ita & hic non in-
congruum erit de Febris in genere quædam annotare,
antequam ad Thematis specialem perlustrationem acce-
dam.

II.

Plurima sunt in rerum natura ubivis obvia, ignota ne-
mini, quorum tamen definitiones vel descriptiones gra-
vissimis premuntur difficultatibus. Ex horum censu Fe-
Febris Def- brim esse quis perspicet, qui Medicorum dissensum
nario Stahlia- circa ejus definitionem consideraverit. Multi, iisque do-
ma.
Beffmannia- Etissimi viri de Febre dicunt quod SYDENHAM de mor-
bis in genere afferuit, nempe quod sit "salutaris Naturæ,
,, seu principii vitalis conatus, quo per motus secreto-
,, rios & excretorios auctos materiam corpori noxiā
,, expellere nititur. Alii qui naturæ, qualis hic intel-
ligitur, existentiam negant Febrim hoc modo defi-
niunt, quod sit "spasmodica universi systematis nervosi
,, & vasculosi affectio, orta à causa nervosas partes ad
,, intensiorem contractionem invitante, quæ efficit ut
,, fluida vitalia primū à circumferentia corporis ad
cen-

„ centrum , postea a centro ad circumferentiam propellantur unde reliqua symptomata dependent.

III.

Nostrum jam non est tantas componere lites, interim evidens est controversiam nonnisi ad causam formalem spectare , cujus disquisitionem hic neque possibilem neque utilem esse persuasus sum ; Etsi non dubitem eorum sententiam, tanquam probabiliorem amplecti , qui statum hominis tam naturalem quam præternaturalem ex legibus mechanicis, quantum fieri potest , explicant. Confero me potius ad symptomata omnibus febribus communia, &, ut loquuntur, essentialia. Hæc sunt 1. *Frigus*, quod dependet à veloci sanguinis ceterorumque fluidorum vitalium propulsione ab ambitu corporis versus cor, unde horripilatio , extremonum pallor , respiratio difficultis , anxietas , &c. quæ pro subjectorum , caufæ morbificæ &c. diversitate majori vel minori gradu adfunt , sanguis dicto modo ad centrum suæ circulationis accumulatus cor majorem in modum expandit , unde ejus elasticitas efficit , ut eo magis se contrahat , fluidaque majori cum impetu versus circumferentiam protrudat. Huic succedit 2. *Calor* ex motu sanguinis tam intestino quam progressivo auctiori ortus , unde etiam proveniunt transpiratio auctior , sudor , sitis , dolor capitis , vigiliæ, Urinæ in colore exaltatio, quæ in statu frigoris emissa plerumque pallida conspicitur. Omnia hæcce symptomata itidem , pro ratione circumstantiarum , gradu differunt. Pulsus per totum morbi decursum celer est.

IV.

Febrisum dif-ferentia. Dividuntur Febres in continentes , continuas & intermittentes. Continentes uno semper caloris gradu conspicuae sunt , continuæ etsi interdum remittant, ita ut symptomata leviora fiant , nunquam tamen per totum decursum finunt ægrum ad apyrexian pervenire. Intermittentes verò postquam per certum temporis spatium duravere , ægrum relinquunt brevi reversuræ; unde diversa sortiuntur nomina à spatio intermissionis petitæ.

V.

Quartana Definitio. Quartana est febris intermittens, inter cujus binos accessus semper duo à calore febrili vacui dies intercedunt.

VI.

Eius historia. Invadit utplurimum tempore autumnali , unde quidam asserunt , quod si alio tempore ingruat tum sint autumnalis quartanæ prægressæ reliquiæ , id quod tamen merito in dubium vocari potest. Horam observat utplurimum pomeridianam , 4 tam , 5 tam vel etiam 6 tam , quæ autem ante meridiem adoritur pro irregulari habetur. Ante invasionem ægri sentiunt languorem totius corporis insignem , cui mox accedit dolor capitis , non quidem vehemens , ut in quibusdam aliis febris , attamen satis notabilis , cui saepius jungitur obscuratio capitis vertiginosa . Sentiunt quoque dolores dorsi , lumborum atque tibiarum contusivos seu osteocopos , sic dictos , quia sensationem inducunt quasi offa-

con-

contunderentur. Extremitates superiores atque inferiores refrigescunt, totum corpus pallescit, livescit facies atque ungues, supervenit deinde rigor, qui huic febri magis familiaris est quam horror, et si interdum hic adeo vehemens sit ut ægri lectum concutiant. Præterea lingua & labia tremunt, respiratio est difficilis, præcordia anxietate. corpus totum inquietudine vexatur. Pulsus est contractus atque durus, quandoque inæqualis. Alvis ut plurimum adstringitur. Interdum, præsertim si ventriculus cruditatibus oneratus sit, conatus ad vomitum, vel etiam actuales vomitus accedunt. Urina hoc tempore emissa est pallida, aquosa, tenuis. Frigus autem in initio febris, primis nempe paroxysmis diutius durat quam in progressu, ordinariè ad duas vel tres horas extenditur. Postea succedit calor, non quidem fervidus, ut in aliis febribus, neque ordinarie sudorem excitans, satis tamen molestiæ infert totalis cutis ariditas. Pulsus tunc æqualior, celerior & major fit, symptomata fere omnia evanescunt, remanente tamen ut plurimum dolore capitis obtuso cum affectione quadam vertiginosa. Tandem postquam hic æstus circiter quatuor vel sex horas perduravit, tunc æque ac cetera pathemata ægrum deserit, eique duorum dierum inducias concedit, quo tamen tempore vacuo in plurimis renianet dolor osteocopus, gravitas capitis, lasitudo insignis atque animi fastidium. Quidam tamen ad statum sano simillimum perveniunt. Urina hoc tempore intermissionis est crassa atque sedimentum depositum. Appetitus in hac febre saepius optime sibi constat, imo haud raro nimius est, dum ægris ansam præbet morbum per ingluviem producendi.

Talis

VII.

Quartana irregulares. Talis est decursus Quartanæ simplicis atque regulares, quæ typum suum exactius quam nulla alia intermittens observat. Dantur vero aliæ adhuc species, ut quartana duplex, ubi intra quatriduum duo superveniunt paroxysmi, ita tamen ut accessionis tempore ab invicem differant, primus nempe paroxysmus respondet tertio, secundus quarto, dies vero tertius tantum a febre vacuus est. Imo & triplicis quartanæ observationes prostant. Datur quoque notha, quæ regularem typum non observat, & plerumque ante meridiem invadit, ut supra dictum est. Frigus atque æstus hic magis quam in simplici urgent. Non infrequens est quartana continua, quæ quartanarium quidem typum servat, sed calorem suum ab uno paroxysmo ad alterum usque extendit. Quoad cetera symptomata a quartana intermittente non multum recedit, appetitus tamen valde est imminutus, fitis è contrario molestiam continuam præbet. Sominus parum vel nihil reficit, etsi ægri ad eum valde sint propensi. Urina est rubicunda, crassa, & roseum sedimentum deponit, qualis fere in hectica observatur.

VIII.

Quartana causa proxima. Perlustrata sic morbi historia jam ad causas atque originem ejus accedendum est. Quod ad causam proximam attinet, illam post **Celeb.** F. HOFFMANN. consistere arbitror in partium nervosarum strictura spastica universali, quæ vasorum & nervorum sistema ita afficit ut graves in fluidorum motu turbæ oriuntur. Causa itaque

itaque materialis erit omne illud quod talem strictruram producere potest , cui effectui nilaptius existit quam materia subtilis aliquatenus caustica , quæ nervosas partes , utpote maxima sensibilitate præditas vellicando easdem ad crispaturam atque spasmodum facile adducere potest .

IX.

Jam quod ad causam antecedentem attinet , illam in ventriculo interdum hærere exinde manifestum fit , quod talis febris ab unico emetico assumpto feliciter sæpe profligatur ; cruditates nempe vitiosum chylum procreantes cum illo ad massam sanguineam delatæ partibus suis acribus nervosas partes stimulando totius morbi autores esse possunt .

*Cause antecedentes.
In ventriculo.*

X.

Sæpiissime tamen in reliquis abdominis visceribus latet mali origo atque fons , in hepate scilicet liene atque mesenterio , id quod ex morbi decursu , indole & nexu cum aliis morbis perspicitur . Hepar est viscus innumeræ vasorum copia instructum , fibris motricibus paucis præditum , maxima præterea sanguinis pars , quo illud irrigatur , non per arteriam , sed per venam portæ advehitur , insuper sanguis hic quoad partem notabilem ex intestinis , omento , mesenterio atque liene refluus est ; in omnibus hisce partibus , excepto liene , subtilior ejus pars sequestrata crassam relinquit . Facillime igitur hepatis infarctus & obstructio oritur , qua-

*In reliquo
visceribus
abdominis.*

præsente & mesenterium & lienem simul affici debere ex legibus circulationis patet. Sed & lien proprios suos patitur manes , dum enim tot myriadibus vasorum instructus membrana unica cingatur , facile distensio nimia ejus vasorum fieri potest , unde sanguinis stagnatio , viscerisque infarcitus & obstructio.

X I.

*Generatio
materia fe-
brilis.* Sic ortæ viscerum obstrukciones aliquales materiam il- lam acrem nervosas partes stimulantem facile producere possunt. Humores enim fermentescibiles , gastrici , lymphatici , salivales dum tardius moventur , vel stagnant , fermentationem quandam subcunt , inde particulas suas spirituosas subtile amittunt , coagulantr , acescunt. Hac ratione corrupti hi humores chylum rite elaborare non possunt. Primæ igitur viæ cruditatis acidis , viscidis onerantur , quæ progressu temporis , accendentibus imprimis alimentis intemperatis , acri moniam insignem induunt. Ex primis deinde viis ad massam sanguineam delatae cum illa ad partes corporis nervosas appellunt , ubi irritationem , ceteraque independentia symptomata producunt.

X II.

*Eius natura
demonstrata.* Ne quis objiciat nudas speculationes esse ea , quæ hactenus de materia nostra febrili dicta sunt , perpendat solutionem quartanæ per scabiem , purpuram alia que exanthemata non adeo infrequentem esse , imò il lis incongruè repulsis hanc febrem quandoque ori.

Quæ

Quæ phænomena materiæ acris præsentiam satis adstruere mihi videntur.

XII.

Inter causas procatarticas & occasioales occurunt statim diætæ vitia , ubi præsertim cibi dyspepti magna copia ingeruntur. Potus quoque vel nimius vel nimis parcus huc trahi potest. Evacuationes sanguinis conuentæ quando supprimuntur vel negliguntur oritur inde à sanguine juſto plus accumulato vasorum distensio , lentior motus, demum obſtructiones illæ viscerum abdominis , de quibus §. X. dictum. Defectus motū ſymbolum ſuum quoque confert ; ſicut enim motus ſufficiens & ſolidas & fluidas partes in ſuis functionibus adjuvat , illas roborando , has fluxiles reddendo , ita deficiente motu contrarium evenire debet. Magis vero nocet vitæ genus mobile in ſedentarium ſubito mutatum. Abdominis refrigeratio , præſertim poſt corporis incalientiam , vel aëre exiſtente humido , ſæpe huc aliquid confert , in priori caſu ſanguis antea rarefactus ſubito coagulationem quandam ſubit infuper illud quod per transpirationem excerni deberet retinetur in poſteriori verò muſculi abdomeni , quorum motus circulationi ſanguinis per viſcera iuſſervit , flaccidi redduntur , Facile inde obſtrutioni anſa præberi potest. Acida & ſpirituosa niimiā in copia ingeſta dum ſanguinem iuſſifiant , ſicque ejus circulationem liberari impediunt , huic quoque perteſt. Neque minus febres intermitentes alias prægressas per nimia diaphoretica , diuretica &c. incongruè tractatas in quartanam tranſire poſſe facile concipitur. Ulcera antiqua , nec non ſcabiem , si

repelluntur hanc febrem excitare posse experientia comprobat. Id quod particulis acribus, causticis ad sanguinem protrusis attribui potest. Ceterum tempus autunnale quartanæ excludendæ aptissimum est propter subitas aëris mutationes, unde fibrarum muscularium elasticitas debilitatur, transpiratio impeditur atque sanguinis justa circulatio sufflaminatur. Unde **HIPPONCRATES** inter morbos autunnales quartanam primo loco posuit,
Sect. III. Aphor. 22.

XIV.

Subiecta.

Ad subiecta quartanæ quod attinet, illa ex ante dictis maxima ex parte innotescunt, addo temperamentum Melancholicum, sive solum sive prædominans. Illud enim sanguinem circulationi non adeo aptum alere omnium medicorum consensu constat. Ætas consistens præcipue huic febri est obnoxia, imprimis si accedant nimiæ speculations, tristitia, curæ &c. quanta enim sit corporis & animi harmonia nemini ignotum est. Infantes quartanarii apud quosdam scriptores observati leguntur, quod vero ad rariores casus pertinet, neque facile absque epidemica constitutione accidet.

XV.

Prognosis

Jam quod ad prognosin attinet, nulla alia febris intermittens adeo diurna observatur, unde fortè a veteribus quartana saturni filia vocata fuit, allusione satis frigida ad apparentem lentissimum saturni planetæ motum. Potius autem conjicerem hoc nomen quartanæ

tanæ ideo datum fuisse, quod veteres. Medici crederent,
 illam ab humore nescio quo atro crasso , in liene seque-
 strato originem trahere. Saturni autem planetæ cum
 liene harmonia, imò commercium arctissimum in plum-
 beo credulorum cerebro existit. Ceterum si hæc febris
 Naturæ autocratiæ relinquitur, ordinarie vel plane non,
 vel saltem post longum tempus ægrum deserit , de quo
 testis inter alios luculentus est **M A R C E L L U S D O N A T U S**,
Hist. Med. L. I. cap. 14 ubi refert **T H R A S Y M E N U M** quendam
 Grammaticum supra XXIV. annos Quartana laborasse ,
 et si moribus fuerit continentissimis , summaque sobrie-
 tate. Cujus rei ratio est quod paucissimæ hic fiant ex-
 cretiones. Attamen hæc morbi contumacia sæpe in-
 tenditur & augetur adhuc præexistente cacochymia ,
 mala accedente diæta ; ne quid addam de Medicorum
 quorundam methodo medendi vel nimis præcipiti , vel
 nimis lenta , vel in omnibus subjectis uniformi. Inter-
 dum tamen cito solvitur , præsertim in subjectis juveni-
 libus, Regetis alias diætamq; bona m observantibus, nec non
 accedente mensium aut hæmorrhoidum fluxu , cujus
 suppressio morbum induxerat. Quæ verno tempore in-
 vadunt quartanæ non adeo diuturnæ observantur ac au-
 tumnales , cujus ratio in aëre quærenda. Senilia sub-
 jecta præter majus periculum quod illis minitatur hæc
 febris , raro ante annum tempus elapsum curantur.
 Alias quartana per se non est periculosa , obstruc-
 tiones enim viscerum , quum nondum confirmatæ sint ,
 ope congruorum remediorum , ipsorumque motuum
 febrilium non adeo difficulter tolluntur In magnum
 tamen discrimen conjiciuntur ægri quando per cathar-
 ses violentas , nimis repetitas , venæflectiones intenipe-
 stivas, &c debilitantur , indeque obstrunctiones foventur ,
 quod etiam faciunt salia volatilia large adhibita , nec

non adstringentia nimis cito in usum vocata. Febris incongrua tali ratione excepta vel acutam indolem induit, vel in lentam & hecticam transit. Adstringentia imprimis ante sublatam febris causam exhibita hydro-pem facile inducere possunt. Eadem de causa asthmati, icteri, tuffes hypochondriacæ &c. haud raro occurunt. Si huic morbo purpura accedit, periculosum valde est, debilis enim calor materiæ virulentæ expulsioni vix sufficit, frigus vero eam repellit. Mitioris præfigii sunt oedemata, si ritè tractentur. Quomodo quartana à multis gravibus chronicis morbis liberet vid.
Hoffm. Med. Rat. Syst. Tom. IV. Sect. I. cap. 2.

XVI.

*Methodus
Medendi.
Indicationes.*

Methodus medendi in genere requirit Causæ ablacionem, postea motuum febrilium suppressionem- Illud obtinetur si 1. Materia viscida, acida, biliosa in primis viis stabulans indeque in massam sanguineam penetrans corrigitur & evacuatur. 2. Illud quod in sanguine vitiōsum est itidem corrigitur & educitur. 3. Circulatio sanguinis per abdominis viscera restituitur.

XVII.

Indicationes. Materia peccans in primis viis corrigitur remedii absorbentibus, digestivis attenuantibus & aliquatenus stimulantibus, quæ ultima ejus evacuationi ut plurimum quoque inserviunt. Huc pertinent lapides cancrorum, conchæ

conchæ pptæ , salia neutra , ut Tartarus vitriolatus , ar-
canum duplicatum , nec non salia per incinerationem
parata , ut absinthii centaurii minoris , genistæ &c.
Conducunt quoque sal ammoniacum , Tartarus solubi-
lis , Terra foliata tartari , nec minus radices & herbæ
incidentes & aromaticæ , ut radix ari gentianæ , pimpi-
nellæ albæ , caryophyllatae , herba Centaurii minoris ,
trifolii fibrini , cardui benedicti , tum gummata inci-
denta , ut ammoniacum , juniperi &c. Expurgandi
scopo non convenient fortiora , sed laxantia , ut salina,
nec non infusa ex radicibus & herbis incidentibus cum
melanagogis , inter quæ eminet helleborus niger. Egre-
gium effectum præstat magnesia alba , dum & absor-
bendi & educendi scopo prodest. Specialiter laudatur
radix asari ante paroxysmum ad ʒj vel ʒj exhibita.

XVIII.

Vomitoria haud raro exiūniæ sunt utilitatis , si nem- *De Emeticis.*
pe morbus ex cibis quantitate vel qualitate peccantibus,
indeque ortis in ventriculo cruditatibꝫs ortus fuerit.
Tum post digestiva vel cum illis mature danda sunt ,
antequam materia peccans in massam sanguineam ingref-
fa fuerit. Cavendum tamen summo studio ne abusus
accedat , neque iis dentur , quibus labes in visceribus
hæret , vel in quibus genus nervosum valde debilita-
tum existit. Præter asarum , de quo jam diximus com-
mendatur quoque radix ipecacuanhæ , si vero hæc ni-
mis debilis deprehendatur jungi poterit parva dosis
tartari emetici. Commendantur à multis vitriolacea ,
impr. sal vitrioli vomitivum , quæ an convenient pru-
dens

dens Medicus perpensis omnibus circumstantiis judicabit. In nostris saltem regionibus fortiora talia emetica raro sunt usurpanda.

XIX.

Indicatio 2da. Secundo scopo satisfaciunt itidem attenuantia, item quæ transpirationem, sudorem & urinam promovent, qualia sunt multa §. xvi. commendata, ut sal ammoniacum, salia varia, radices & herbae aperientes in decocto calido, usurpata vel etiam in infuso Theiformi. Profundunt quoque ligna antivenerea dicta, ut sassafras in infuso calido, nec non absorbentia acido saturata scopo resolvente & diuretico. Cavendum verò à fortioribus tam sudoriferis quam diureticis, ne sanguis tenuiori sui parte orbatus spissus fiat.

XX.

Indicatio 3da. Sanguinis circulationem promovent tam attenuantia quam roborantia, quæ videlicet viscerum tonum restituunt. Conveniunt hic pilulæ ad STAHLII. vel BECKERI imitationem ex gummatibus & extractis amaris paratæ, nec non martialia, quæ tamen caute usurpanda, nisi sanguis jam sufficienter dilutus fuerit. Magnam laudem hic meretur Tinctura Vitrioli martis Ludovicæ, Acidulæ debitæ subjectis exhibitæ præstabilem quoque effectum edunt.

Præter

XXI.

Præter generales indicationes , de quibus huc usque egimus , symptomatum quoque ratio est habenda , inter quæ frequentissimum est spasmus vehemens dolorificus , ubi præter interna antispasmodica conveniunt externe linimenta ex oleis destillatis nervinis , ut spicæ , rutæ , serpilli , nec non balsama varia . Commendatur hic à quibusdam axungia humana . quid tamen hæcce præ reliquis axungiis peculiare , possideat non facile est perspicere . Obstructioni alvi , hic ordinariæ , & spasmodis simul occurritur clysteribus ex oleofisis , emollientibus , nervinis &c. paratis ; quibus tamen , si æger filos detrectat , substitui possunt laxationes internæ ex decoctis radicum & herbarum dictis virtutibus prædictarum cum manna . Cetera symptomata speciali medela vix opus habent .

*Symptoma-
tum lege-
men-*

XXII.

Ad methodum specialem & tempus præbendi dicta *Tempus exhi-
bende reme-
dia.*
remedia quod spectat , die ipso paroxysmi non multum effici potest , sufficit versus paroxysmum digestiva exhibere , in æstu vero præter potum aliquatenus calidum nihil dari convenit , non enim sudor est eliciendus , sed sanguis tantum diluendus & transpiratio promovenda . At vero diebus intercalaribus strenuè , providè tamen , resolutioni & evacuationi materiae febris est incumbendum , primo die convenient incidentia in forma decocti , infusi , tincturæ &c. & digestiva in forma

forma pulveris. Altero die illud quod pridie attenuatum & præparatum fuit jam educendum est , id quod fieri potest per pilulas ad S T A H L I I imitationem paratas melius autem , meo quidem judicio , per infusum ex vegetabilibus incidentibus cum laxantibus mixtis parato. Eadem tamen die digestiva non sunt omittenda, suaderi quoque potest infusum aliquod Theiforme.

XXIII.

Suppresſio febris. Correcta atque evacuata dictis subsidiis materia febri- li , sanguinisque circulo in ordinem redacto . sicque caufa morbi sublata , id quod inter alia ex eo cognosci tur quod ægri tempore intermissionis optime se habeant ; de suppressione motuum febrilium erit cogitan dum. Non enim in quartana horum motuum spontanea cessatio est expectanda , sed arte necessario procura- randa , idque ope febrifugorum , quorum satis magna farrago occurrit apud materiæ medicæ scriptores , sec paucis & hac in re contenta est Natura. Optimum sanè (quicquid alii abusum cum usu confundentes contra allegent) est Cortex sic dictus Peruvianus , cui pro xime accedit Cascarilla. Commodissima hic formula est electuarium , quale egregium describit F R. H O F E M. l. c vel loco ejus aliud confici potest ex Conserva visce rali hic officinali , cort. Chinæ Chinæ vel Cascarillæ , sum mitatibus absinthii , rad. gentianæ , imperatoriæ , caryo phyllis aromaticis , rob juniperi , syrupo acetosæ , Ef sentia absinthii , gentianæ , &c.; ex quibus ingredientibus facili negotio feligi possunt quæ melius conveniunt Neque tamen rejiciendi sunt pulveres , quos Cortex in gre-

greditur, neque spernenda infusa, quæ cum vino rubro (optimè Burgundo) vel aqua, simplici vel destillata fieri possunt, ubi ad libras duas menstrui una vel altera uncia corticis sufficit. Tempus quod concernit, quo talia febrifuga exhiberi debent, finito paroxysmo dari, singulisque quatuor, imo & tribus horis continuari possunt, donec febris profligata fuerit. Qua abacta postea per aliquot dies una dosis bis quotidie, deinde semel, tandem bis aut semel tantum in septimana assumatur, diu continuando, ut recidiva præcaveatur.

XXIV.

Commendantur passim externa quoque febrifuga, *Febrifuga* ubi, præter clysteres, quos Cortex ingreditur, Gallis *enserna*. familiares, occurrunt emplastra, epicarpia, amuleta. Optimum amuletum confici posse existimo ex numismate, cui inscriptum sit; **MUNDUS REGITUR OPINIONIBUS.** Emplastra vero non ita prorsus rejicienda sunt, quia volatilia & nervina ingredientia, ex quibus constant, ad generis nervosi roborationem aliquid conferre possunt. Idem de epicarpiis esto judicium. His tamen æque ac emplastris sæpe idem accidisse credo, quod olim **BATHYLO** Poëtæ, de quo **VIRGILIUS:** *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores.* Sic haud raro evenit, ut medicamenti unius effectus alteri adscribatur. Interna fane medicamenta talibus externis semper præferri merentur.

XXV.

Camelæ.

Præter cautelas in methodo mēdendi jam indicatas aliæ quædam restant. Venæsectio à Veteribus , impri- mis Arabibus in hoc morbo commendatur , ne de certis Medicis in quavis febre venam secantibus loquar ; a pluribus hodie rejicitur. Evidens quidem est per san- guinis missionem , febrilem materiam non educi , sic que Venæsectionem hanc febrim directe non sanare ; sed si status plethoricus adsit , si æger confuetus fuerit illo tempore sanguinem mittere , aut si morbus à suppressio- ne hæmorrhagiæ ortum traxerit , non video cur Phlebotomia ceteris paribus non debeat admitti. Oede- mata haud raro huic febri accedunt , quæ non exter- nis , sed internis curari debent , attenuantibus nempe & laxantibus. Idem faciendum , si post morbum rite tractatum œdemata talia orientur ; si enim à febre incongrue suppressa proveniunt , hæc statim purgante ali- quo erit revocanda. Haud raro quoque ægri conque- runtur de pressione vel tensione hypochondrii sinistri , quæ imminentem lienis infarcitum indicat , ubi conve- niunt eadem ac in œdemate interna remedia , neque spernenda Mixtura ex Tincturæ Vitrioli Martis Ludo- vici & Essentiæ adianthi albi partibus æqualibus concin- nata. Externè hic usurpari poterunt emplastra discu- tientia , ut Empl. saponatum Barbette , de Cicuta &c.

XXVI.

Diæta ægris.

Tandem ad diætam ægri me confero , ubi statim patet vitandos esse cibos potumque quantitate vel qua-

qualitate peccantes. Pro potu ordinario convenit pti-
fana ex radicibus & herbis attenuantibus, temperanti-
bus leniterque diaphoreticis. An acidulæ convenient
judicio Medici relinquitur. Maximopere cavendum
est, ne perspiratio impediatur, nimis tamen calidum
regimen nullo modo suadendum. Commendandus est
motus paulo validior, non tamen valde vehemens; ut
fluidæ & solidæ partes ad officia sua melius disponan-
tur. Præstabilem hic effectum edit equitatio. Morbo
jam superato æger per aliquod tempus diætæ legibus
se adstringat necesse est, caveatque sibi ab aëre minus
fano, intemperantia, animi commotionibus. Neque in-
confultum erit aliquandiu stomachica adhibere. ne no-
væ cruditates generentur, unde febris revocari posset.
Alvi quoque habenda ratio, quæ si non rite respondet,
digestivis & lenissimis laxantibus erit sollicitanda. De
continuatione usûs corticis Chinæ Chinæ cum suprà
jam dixerim hic repeti non est necesse. Et hæc sunt
quæ pro ingenii modulo afferre mihi visum fuit,
quæ æqui Lectoris judicio subjiciuntur. *Summo-*

A R C H I A T R O sit Laus & Honor & Gloria.

in Sempiternum.

COROL-

COROLLARIA.

I.

Falsissimum est tritum illud: *optimum Theoreticum pef-
sum esse Practicum.*

II.

Purgantia non solum ventriculum & intestina, sed
massam quoque sanguineam depurant.

III.

Lenia purgantia in quibusdam subjectis plus efficiunt
quam fortiora.

IV.

Aquæ hydropicorum extravasatæ neque purgantibus
neque diureticis educi possunt.

V.

Lapides pretiosi medicamentis immixti melius exu-
larent.

VI.

Theriacæ ingredientia ad quartam partem, salva effi-
cacia, redigi possent. Idem

VII.

Idem valet de plurimis medicamentis officinalibus.

VIII.

Medicamenta quorum ingredientia ignorantur
urgente necessitate, summa cum circumspectione et usum
sunt vocanda.

IX.

Remedium universale nec datur nec dari potest.

X.

Neque antidota generalia prostant.

XI.

Neque verum lithontripicum hactenus innotuit. ejus
tamen existentia non est impossibilis.

XII.

Medicamenta contra incantationes specifica non dan-
tur.

XIII.

Nihil ad vitæ prolongationem plus valet quam vera
Sapientia.

Erratum.

Pag. 3. lin. 10. pro FLACCI lege FLACCI.

VII

Item sicut te minima pars deservit

VIII

Mechanista deinde interieoris partis ratione
medicorumque ratione circunspiegationis

partes vocantur

XI.

Romam universitas nec currit nec duci potest

X.

Medicorum deinde pars circumferuntur

XI.

Medicorum ratione interieoris pars ratione circumferuntur

XII

Medicorum ratione circumferuntur pars ratione circumferuntur

XIII

Nisi sit sicut proportionem quae videtur non debet
supponi?

Eiusmodi.

Si ergo hoc ratione